

mus Coelestinus Papa senioris Romae praesidisse. Sic etiam Evangelius l. 1. Hist. cap. 4. Libertatus cap. 5. Brev. Nicolatus 1. Ep. 9. ad Michaellem Imperatorem, & alii. Confir. cum Coelestinus vices suas commisit Cyrillo ad executionem sententiae contra Nestorium late a Synodo Occidentali, & Nestorii ipsius causa discuteretur in hoc Concilio Ephesino, atque ad exitum promovenda foret, vicariam Romanae Sedis potestatem Cyrillus servabat, donec absolute depositus esset Nestorius, ejus haeresis confixa, ipsiusque Ecclesiae provisum de Successore, ut ferebat commissio.

Prob. 2. pars ex Ep. Coelestini Summi Pontificis ad ipsam Synodum Ephesinam: *Diraximus* (inquit) *pro nostra sollicitudine sanctos Fratres, Consacerdotes nostros, unanimes nobis, & probatissimos viros, Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum; qui iis, quae aguntur, intersint, & quae a nobis antea statuta sunt, exequantur.* Idem constat ex Ep. ejusdem Coelestini ad Theodosium Imperatorem, & ex alia ad Cyrillum. Item ex interlocutionibus Legatorum act. 3. & ex interlocutione Cyrilli ibidem. Major difficultas est, utrum post Legatorum S. Sedis adventum iterum cum ipsis praefuerit S. Cyrillus? Pro quo

Dico 3. Probabilis videtur, S. Cyrillum, advenientibus Legatis, cum illis etiam praefuisset Concilio, saltem in iis, quae propriam suam causam non spectabant. Prob. 1. Commissio contra Nestorium ipsi data a Coelestino nullibi legitur retractata, nec censetur retractata per aliorum Legatorum deputationem, ut vult Natalis Alexander ex regula Juris, *posteriorem procuratorem dando, prohiberi.* L. 13. *Si quis 5.* ult. de procurat. Valet enim dumtaxat haec regula in iis, in quibus non convenit plures simul procuratores constitui.

Prob. 2. Actio 3. dicitur habita, *considerandis in sanctissima Ecclesia, quae appellatur Maria, piissimis, Deoque dilectissimis Episcopis, Cyrillo Alexandrino, qui, & Coelestini quoque sanctissimi Romanae Ecclesiae Archiepiscopi locum obtinebat, & Arcadio Episcopo, Romanoque Sedis Legato, & Projecto Episcopo, qui, & ipse quoque Romanae Ecclesiae Legatus erat, & Philippo Presbytero, & Legato, & Juvenale Jerosolymitano, &c.* Nec obstat, si dicas cum Natali Alexandro has voces, *qui & Coelestini locum obtinebat*, non importare tempus praesens, sed praeteritum, praeteritis sessionibus: quia in prima actione, in qua praesens, & de facto praesidebat Cyrillus, eadem voces usurpantur, ut vidimus supra.

3. Quia in relatione Concilii, missa ad Imperatores, Patres vocantur Cyrillum Concilii caput; Ne, inquit, *sancta nostra Synodus suo destituatur capite.*

Tandem fatetur ipse Natalis Alexander, contra quem hic agimus, Coelestinum in Ep. ad S. Cyrillum data post jam indictam Synodum non leviter innuere prorogationem datae antea commissionis pro illo sacro consensu.

Dices cum eodem Natali, S. Cyrillum actorem egisse in hoc Concilio contra Joannem Antiochenum, & ejus conciliabulum; atqui non potuit esse Praeses in sua causa: ergo. R. 1. Ex hoc argumento sequi, nequidem fuisse Judicem S. Cyrillum, quia etiam nemo est Judex in sua causa. Unde R. 2. Cyrillum pro hac particulari causa non egisse neque Praesidem neque Judicem: sed inde non probatur non egisse utrumque quoad alia. Dices 2. cum eodem, S. Cyrillus actione terita non se connumerat Legatus S. Sedis. R. id modestius ejus tribuendum esse.

SECTIO IV.

De Epistolis, & Anathematismis S. Cyrilli.

Utrum haec Scripta sint erroris pura?

Dico: Haec S. Cyrilli scripta sunt ab omni labe erroris pura. Est contra Orientales, qui illa acriter aliquando impugnantur, ut Apollinaristarum errore conspurcata. Prob. 1. ex Epistolis Coelestini, ad Cyrillum per Possidonium missis, quibus Pontifex fidem Cyrilli commendat his verbis: *Magnus sane hic fidei nostrae triumphus est, quod nimirum, & nostra tam valide probaveris, & his opposita per divinarum Scripturarum testimonia tam fortiter expugnaveris.* Extant. 1. parte Concil. Ephes. cap. 28. Idem in Litteris ad Nestorium, quae extant 1. p. Concil. Ephes. c. 18. Alexandrinae (inquit) Ecclesiae Sacerdotis fidem, & probavimus, & probamus: & tu admonitus per eum eadem sentias nobiscum.

2. Concilium Ephes. in relatione ad Imperatores: *Ac principio quidem* (inquit) *Cyrilli religiosissimi, sanctissimique Archiepiscopi Epistolas de fide conscriptas cum hac expositione contentissimas, collectisque dogmatibus ac sententiis consentaneas reperimus, nec ulla re doctrinam ejus a via illa expositione discrepantem.* Idem significant Patres in relatione ad summum Pontificem. Similiter capitula, seu anathematismos Cyrilli Epiphanius, Eccle-

siae Alexandrinae Archidiaconus tempore S. Cyrilli, in Ep. ad Maximianum Constantinopolitanum Episcopum, asserit ab Ephesina Synodo fuisse approbata. Idem asserit Joannes Sebastensis Episcopus in Synodicis ad Leonem Ang. litteris. Idem Liberatus in Brevariario. Idem Vitalius Papa in decreto, quo Rusticum, & Sebastianum Romanae Ecclesiae Diaconos exauctoravit. Quinta Synodus Theodoretus scripta quaedam tanquam impia damnavit, & Iba Edesseni Epistolam, quae erat contra S. Cyrillum, & 11. ejus capitula.

Tandem actione 1. Concilii Chalced. cum Eusebius Dorylaei Episcopus portexisset adversus Eutychetum libellum, quo profitebatur se omnibus consentire, quae sapuit, & exposuit Beatis- simus Cyrillus, exclamavit S. Synodus: *Semper memoria Cyrilli, Cyrillo aeterna memoria. Si quis retractat, anathema sit. Si quis super ista inquirat, anathema sit.* Exclamavit Julianus Legatus: *Apostolica Sedes sic sapit: Synodus dixit: Et haec universalis Synodus sic sapit... Nos sicut Cyrillus credimus: sic credimus, sic credimus. Anathema ei, qui sic non credit.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Joannes Antiochenus cum Orientalibus, Theodoretus Doctor Catholicus, & a Concilio Chalcedonensi susceptus, Iba Edessenus in Ep. ad Marim Persam, quam a Synodo Chalcedonensi probatam testantur Facundus Herm. l. 5. & 6. Libertatus cap. 13. Brev. Gennadius Constantinopolitanus Episcopus vir, & orthodoxus, & sanctus, ut constat ex fragmentis a Facundo relatis S. Cyrilli scripta impugnant, ut haeretica, & Apollinaris errore conspurcata. S. Isidorus Pelusiota l. 1. Ep. 310. sic scribit ad Cyrillum: *Multi ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, ut tuas inimicitias persequerentur, ulciscerentur, ac non ea, quae Jesu-Christi sunt, orthodoxe quaerentem:* ergo R. Joannis Antiocheni, & Orientalium testimonia in hac causa nullius esse ponderis, utpote qui a Concilio Ephesino usque ad nitam pacem hostes infensissimi Cyrilli fuerint, licet tamen post initam pacem Joannes Antiochenus honorifice S. Cyrillum tractaverit. Idem de Theodoretis, qui, licet sub initio Cyrilli scripta impugnaverit, postea tamen ipsis usus est in suis contra Apollinarium, & Eutychetum Dialogis, & in Epist. 83. ad Dioscorum, in qua ait: *Quod verum etiam beatorum Alexandrini, & Cyrilli scriptis utamur, atque etiam eorum verbis adversantium ad dactiam retundamus, libri testantur; & in priori libro numerat Cyrillum inter eos, quod Orbis lumina, & fidei Duces ac Magistros appellat.* Idem de Iba: de quo insuper nego ejus Epistolam fuisse susceptam in Concilio Chalced. nec in hoc Liberato & Facundo accerrimus trium Capitulorum defensoribus, est credendum. De hoc fusius alibi. Sufficit dicere modo, Ibam ipsum, non ejus Epistolam, fuisse susceptam a Concilio Chalced. postquam anathema dixit Nestorio, & sua adversus Cyrillum, & ejus anathematismos dicta excusavit. Quoad Gennadium Constantinopolitanum, R. librum ejus non extare, nec multum fidendum Facundo, ut diximus, & eo maxime, quod ipsemet in Praefatione conqueratur *de mendositate codicum, & de incuria translatorum.* Unde verisimile est, hunc librum, ex quo profertur fragmenta Facundus, Gennadio esse suppositum: sed dato: esse genuinum ejus opus, R. ipsum fuisse deceptum, & Cyrilli mentem non attigisse, ut dicit ipse Facundus l. 2. his verbis: *Talia Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intellexisset.* Quoad S. Isidorum dico, ipsum scripta Cyrilli non damnasse, sed ut Patrem monuisse, Orientalium clamoribus turbatum: ipsum enim Cyrillum Patrem appellat, & ut Patrem venerat.

Inst. S. Cyrillus sua capitula saltem implicite retractavit: ergo. Prob. Ant. S. Cyrillus, ineundo pacem cum Joanne Antiocheno, & Orientalibus, ipsos non adegit, ut sua capitula probarent, & calumnias in illa disseminatas retractarent: ergo non injuste Orientales illa damnarunt, adeoque implicite Cyrillus ea retractavit. R. Ant. Cojus falsitas aperte patet ex Ep. ipsius Cyrilli ad Acacium Melitenensem Episcopum, in qua de conditionibus pacis haec habet Cyrillus: *Volebam omnia aboleri, quae vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, & soli fidei, quae a SS. Patribus Nicaeae edita fuerat, consentire.* Ego vero ad ista ita rescripsi: *expositioni fidei, quam Nicaeni Patres ediderunt, adheremus omnes... Quae vero recte contra Nestorii blasphemias scriptimus, ea ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut recte scripta esse negemus.*

Ad probationem dico, S. Cyrillum id dispensatione quadam, & economia egisse, ne Episcopi alioqui de fide recte sentientes diutius extra Ecclesiae communionem manerent. Id observavit Facundus Hiermanensis l. 6. p. 249. Edit. P. Sirmundi, his verbis: *Sane, quoniam B. Cyrillus, Orientalium Legatione suscepta, magis, quod a Consacerdotibus suis expetebatur, festinatis implere, quam dictionum suorum, in quibus offensi fuerant, sufficientem purgationem facere, ideo prius est, veluti pristino errore damnato, Orientalium admonitione conversus: cum ille re-*

*cuperanda unitatis cupidus in defensione dictionum suorum noluerit immorari, ne, cum probare diti contendit, quod non, ut putabatur, ab eo fuerint dicta, de quibus minus intelligentes aliter sentiebant, controversiae hac dissensione terminus non daretur.*

Repones. Ipse Facundus eodem l. 6. dicit, S. Cyrillum retractasse sua capitula, scribens his verbis: *Ipsam capitulorum suorum retractationem non idem eum (S. Cyrillum) post Synodum Ephesinam fecisse, aliqui crediderunt.* Et post pauca: *B. autem Cyrillus non solum fidei confessioni, quam, sicut necessarium crediderunt, illi (Orientales) dixerant, expetitum ante scriberet, sed etiam ipsa sua capitula retractaret:* ergo. R. per retractationem Facundum intellexisse Interpretationem, seu expositionem. Patet tum ejus dictis prius laudatis, quibus alias ipse contradiceret; tum ex eo quod ibidem ipsemet asserat, Ibam in eo errasse, quod crederet Cyrillum sua capitula retractasse. En ejus verba: *Putaverat autem Reverendissimus Iba Episcopus, quod idem B. Cyrillus, directa sibi ab Orientalibus confessione, non communcem errorem cognoverit, sed proprium errorem correxerit. Quod neque nos, neque sancta Chalcedonensis Synodus approbavit.* In eodem errore facti versatus est Theodoretus in sua Ep. 112. ad Dominum Patriarcham Antiochenum.

Replicabis. Synodus Chalced. Theodoretum suscipiens ipsam tantum adegit dicere anathema Nestorio, non autem revocare, quae contra duodecim capitula Cyrilli scripserat: ergo existit Synodus, illa jure a Theodoretis fuisse impugnata. R. Synodum in hoc eadem ac Cyrillum economia usum fuisse; ut testatur Leontius Byzantinus lib. de Sectis act. 6.

Obj. 2. Multa erant in capitulis Cyrilli reprehensionum obnoxia: ergo. Prob. Ant. In 1. anathemate dicit, B. Virginem carnaliter genuisse incarnatum Dei Verbum. In 3. vocat hanc mirabilem unionem naturalem; & multa alia, quae haeresim Apollinaris sapiunt: ergo. R. Haec, & alia meras esse cavillationes Orientalium, quas ipse Cyrillus dissipavit in Apologetico pro 12. Capitulis. Ex quo ad duo objecta R. Ad 1. dixit, B. Virginem carnaliter genuisse Verbum, non quod cessaverit esse virgo, aut non genuerit ex virtute Spiritus S. ut calumniose interpretantur Orientales: sed carnaliter dixit, id est, secundum carnem, ne putaretur asserere divinitatem ex B. Virgine natam, ut ex Cautiliorum sententia sequi effutiebatur Nestorius. Ad 2. vocavit hanc unionem naturalem, intelligens non esse fictitiam, aut innamariam, sed veram, & realem: quo sensu scribit Apostolus: *Erasmus natura filii verae,* id est, verae.

Obj. 3. Epistolae Cyrilli ad Successum, in quibus dicit, unam esse naturam Verbi incarnatam; sed hujus objectionis solutionem require supra Diss. praeced. art. 1. Obj. 1. inter Euty-chianas.

SECTIO V.

De fide Joannis Antiocheni, & Episcoporum Orientalium in causa Nestorii.

Utrum Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus erroris Nestorii adhaerens?

Dico: Quamvis Joannes Antiochenus, & Orientales impense faverint personae Nestorii, ejus enim damnationi subscribere recusarunt, anathematismos Cyrilli contra ipsum exploserunt, ipsam Synodum Ephesinam impugnaverunt, Patres Synodicos insectati sunt, ut omnibus notum est; ejus tamen erroris non adhaerent.

Prob. 1. ex ipso Joanne Antiocheno in Ep. ad Nestorium data ante Synodum Ephesinam, & post acceptas Coelestini, & Cyrilli Litteras de ipso eiusque errore. Etenim, inquit, *si id, quod nominis (Deiparae) significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur: imò vero ut circa inexplicabilem illam Unionem nomine hoc sublatum, vel potius hujus nominis notione repudiata, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostrae salutis causa suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in seroi formam se se demittens, ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse.* Haec ego, complures religiosissimos tuaeque pietatis studiosissimos Episcopos apud me habens, scribere volui. Unde constat, Joann. Antiochenum cum aliis Episcopis Orientalibus admisisse nedium vocem Deipara, sed etiam vocis notionem, Christumque verum esse Deum; quae directè contradicunt haeresi Nestorianae.

Prob. 2. ex concione, quam nomine Orientalium habuit Alexandriae in festo Nativitatis Paulus Emisenus, illic missus a Joanne, & Orientalibus, ad pacem cum Cyrillo ineundam: *Non igitur, inquit, duos filios asserimus, neque merum hominem Emmanuel, quia ex Deipara Virgine natus est, neque gratiam veluti Prophetam, aut iustum aliquid, plus aliis consecutum. In ipso enim complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corpori Theol. Billuart. Pars Tertia.*

raliter, hoc est, veluti in proprio corpore; si quidem corpus nostrum sibi proprium fecit. Cui concionanti Paulus acclamavit: *Ecce fides haec est, bene venisti Orthodoxe Episcopi ergo.*

Prob. 3. ex Cyrillo in Ep. ad Acacium Melitenum, in qua sic ait: *Quia vero sanctissimi Orientales Episcopi, cum Ephesi essent, a nobis dissentiebant, eaque de causa, quasi blasphemiarum Nestorii laqueis irretiti tenerentur, suspecti erant; ut eo crimine se liberarent, inculpataque fidei amatoribus per omnia satisfacerent, ac Nestorianae impietatis expertes esse ostenderent, Apologiam composuerunt, & id quidem admodum prudenter.* Et in Ep. ad Valerianum Iconii Episcopum: *Religiosissimi totius Orientis Episcopi, una cum Domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiae Antiochena Episcopo, scripta, dilucidaque confessione palam fecerunt se prophanas Nestorianorum vocum novitates, aequè ac nos condemnasse, & anathematizasse, seque nullo unquam loco eas habuisse, &c.* Ergo.

Prob. 4. ex Sixto III. Pontifice Maximo in Ep. ad Cyrillum, in qua dicit: *Non se exuli vestro (Nestorio) sanctus frater noster Joannes addiderat, non ejus est blasphemia praedicatione deceptus: nam (quantum rerum exitus docet) suspendit suam sententiam, non negavit:* ergo.

Obj. 1. Si Synodus Ephesina passim asserit, Joannem, & Orientales cum Nestorio sentire; sic in relatione ad Imperatorem per Joannem saceratum largitionum Comitem ait ipsos noluisse damnationi Nestorii subscribere, eò quod aperte quaque cum illo sentiant. In Synodica ad Clerum Constantin. Cum Nestorio sentire nequaquam cessant, & alibi. Similiter S. Cyrillus ad Theopemptum, & alios Constantinopoli agentes: *Diagnoscitur enim, inquit, Nestorii dogmata, loqui, sentire, confiteri.* Idem in Ep. ad Clerum Constantin. ergo. R. tam Synodum Ephesinam, quam Cyrillum ita quidem suspicatos fuisse, propter impugnationem Cyrilli, recessum a Concilio &c. ut dixi supra. Unde nec suspicio, nec iudicium eorum fuit in hac parte temerarium; falsum tamen fuisse, & eos errare in hoc facto docuit rerum exitus, ut dicit Sixtus Papa. Unde ipsemet Cyrillus, discussis contentione nebulis, priorem de illis sententiam emendavit, ut vidimus.

Obj. 2. Joannes Antiochenus, & Orientales S. Cyrilli capita, Nestorianis dogmatibus directè contraria, impugnaverunt: ipsam etiam Cyrillum, & ipsam eorumcunam Synodum insectati sunt: ergo vere fuisse haeretici. R. eos ita se gessisse non errore juris, & odio fidei, sed mero errore facti: cum enim falso existimarent ex una parte, Nestorium solam vocem Deiparae rejicere, non autem puram, putamque haeresim sustinere; & ex alia parte anathematismos Cyrilli haeresim Apollinaris redolere, ipsamque Synodum Ephesinam ipsis absentibus non esse ecumenicam, causamque Nestorii non satis discussam iudicasse; inde factum est, quod, & personae Nestorii, non tantum erroris patrocini fuerint, & quod Cyrilli capitula, & Synodum impugnaverint. Ita respondit Facundus Herm. l. 6. de Synod. Chalced.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

De Euty-chianismo.

Ad Dissert. praecedentem.

SECTIO I.

Synopsis historica Euty-chianismi.

Eutyches Presbyter erat, & Archimandrita seu Abbas celeberrimi Monasterii Constantinopolitani. Ardentissimo zelo contra Nestorium pugnavit, sed non secundum scientiam; ex imperitia enim in extremum errorem abreptus est; utque unitatem personae contra Nestorium defenderet, unitatem naturae destruxit, sive mixtionem, sive confusionem, sive conversionem, ut jam dixi, & adhuc latius dicam infra. Nata est haec haeresis ann. 44. S. Leonis 9. Theodosii junioris 41. ab Ephesino Concilio 18.

Cum Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus Concilium pro componendo dissidio inter aliquos Episcopos coegisset, Eusebius Dorylaei in Phrygia Episcopus, correcto Patribus Synodicis libello, accusavit haereseos Eutychetem, quem prius plures amicos monerat, & ad erroris revocationem hortatus fuerat. Citatur per deputatos Eutyches, ut compareret, abiit, quae praetextu quod a Monasterio nunquam exire decrevisset citra mortis necessitatem. Iterum citatus idem respondit. Tertio citatus, ipse nomine comparuit Abrahamus Monachus cum aliis Monachis, qui Archimandrita agritudinem mentis dixerunt se habere in mandatis, ut pro ipso responderent.

Citatus iterum per Deputatos Concilii, ut personam liber compareret, petiit septem dierum inducias: quo tempore abusus, ad Imperatorem confugit, favente Crisaphio Eunacho inter cur-



bicularios Theodosii primario, & potentissimo, & Flaviani propter recusatum Benedictionis aurum hoste infensissimo. Hujus ope obtinuit Eutyches, ut Concilium ingrederetur cum Patrio Florentio, & magno Silentario, turbulentaque Monachorum phalange, ac pretorianorum militum manu supatus.

De fide interrogatus, duas naturas post adunationem confiteri renuit; quapropter sententia in eum lata decrevit Synodus: *Cum Apollinaris, & Valentini peruersitatibus agrotare, & extraneum esse ab omni officio Sacerdotali & communione fidelium, & primatu Monasterii.* Subscriperunt 32. Episcopi, Abates 23. Damnatus Eutyches ad Romanum Pontificem appellavit, multaque ipsi tanquam injuriam passus mentitus est. Sed Leone de rei gestorumque veritate per Flavianum certiore facto, Eutyches nihil obtinuit; unde novas turbas Constantinopoli molitus, ope Crysaphii acta Synodi, quae falsata mentiebatur, rescindi ab Imperatore obtinuit. Qua de causa Imperator II. Concilium Constantinopoli, inente Aprilii ann. 459. iisdem Episcopis indixit, excluso Flaviano a jure Praesidentiae; in quo prioris Synodi acta examinarentur. Huic Eutyches adfuit per Procuratores, tres scilicet Monachos. Favenibus Eutychem Magistratibus in gratiam Chrysaphii, pluribus falsis testimoniis contenderunt Procuratores Haeresiarum, prioris Concilii acta contra Eutychem per Notarios esse falsata.

*De praedatoria Synodo, seu Latrocinio Ephesino in causa Eutychem.*

Cum non posset Eutyches communionem a S. Leone obtinere, inaudito Flaviano, Synodum aliam Ephesi congregandam obtinuit a Theodosio ope Chrysaphii, qui primatum curavit speciali Imperatoris edicto conferri Dioscoro Alexandrino. Advocavit etiam ad hoc Concilium Barsamam e Syria Archimandritam, virum sceleribus exosum, qui vices ageret omnium Monachorum de Episcopis Orientalibus quentium, simulque cum Episcopis Judex foret. Quae duo tentavit contra Canones Theodosius. S. Leo Romanus Pontifex, invitatus per Imperatorem ad Concilium; cum illud nec impedire posset, nec intra Italiam congregare, misit ad illud Legatos, nempe Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum tituli S. Clementis, Hilarum Diaconum, quibus associavit Dulcitium Notarium. In actis Concilii Chalcedonensis, pro Julio, legitur Julianus. Unde verisimile est Julium Puteolanum equidem a Leone missum, sed aliquo impedimento detentum fuisse, & Julianum Coensem ejus loco substitutum fuisse. Adfuit quidem Concilio Legati, sed non consentire, vel ut referit Liberatus in Breviario cap. 12. *assidere non passi sunt, et quod non fuerit data praesessio sanctae Sedis eorum.* Insuper etiam, quod non lecta fuerat ad Flavianum epistola in Eutychem damnatione a Papa Leone scripta. Et sane quem locum tenuissent, non lectis eorum legationis litteris?

Cepit haec Synodus ann. 449. mense Augusto. Adfuerunt 130. Episcopi. Flavianus suo loco sedere non est permissus, sed quinto loco tantum, a jure suffragii decreto Imperatoris exclusus cum aliis, qui Eutychem prius Constantinopoli damnarant. S. Leonis Epist. exhibetur a Legatis, quam quidem suscipi jubet Dioscorus, sed ejus lectionem quaevis diverticulis elusit. Introducitur Eutyches suam causam egit, fideique dedit professionem perplexam, & simulationis plenam. Intercessit Flavianus, ut Eusebius Dorylaei accusator Eutychem in Synodum admitteretur: prohibuit Elpidius Comes. Unde perlectis gestis in Constantinopolitana Flaviani Synodo, in Sacerdotii gradum, & Monasterii principatum restitutus est Eutyches, lata sententia depositionis in Flavianum, & Eusebium Dorylaei, cui ceteri Episcopi alioqui orthodoxi metu fracti, vique adacti subscribere. Quidam venerabiles Episcopi pedibus Dioscori advoluti in gratiam Flaviani, a militibus, & Monachis Eutychem, qui cum gladiis, & fustibus foris abstabant, jubente Dioscoro, repulsi sunt.

Flavianus ad Sedem Apostolicam appellans indignissime excipitur, injuriis, & verberibus afficitur, praecipuas partes agente Barsama per suos Monachos: calcibus verberatur, inquit Evagrius, per vim ab Ecclesia extrahitur, ita ut paulo post plagarum dolore animam efflaverit. In Legatos Apostolicos damnationi Flaviani constanter obistentes detrahit etiam Dioscorus, quos in custodiam detrusit. Unus Hilarus fuga elapsus post varias circumfessiones, & fortunas tandem Romam appulsus, S. Leonem de omnibus Ephesi gestis instruxit. Theodosius lege data Ephesinum Latrocinium firmavit, quam postea rescidit Marcianus Imperator. Mortuo Flaviano, Theodosius in ejus Sedem suffecit Anatolium, cuius ordinationem a Dioscoro factam, ratam haberi cupiebat a Romano Pontifice Illi non annuit S. Leo, nisi post latam fidei professionem ab Anatolio, cui jubet S. Pontifex, ut Dioscori, Juvenalis, Eustachii Beryten-sis nomina ad Altare non recitentur.

*De Concilio Chalcedonensi in causa Eutychem.*

Theodosio e vivis sublato, Marcianus ejus successor, ducta in uxorem Pulcheria Augusta, S. Leonem mentem aperit de Synodo universali celebranda, quam ipso Leone annuente indicit primò Nicææ, deinde propter Barbarorum imminentium metum, & petentibus Legatis Pontificiis, Chalcedone in Bithynia. Incepta est haec Synodus ann. 451. mense Octobri in suburbii Civitatis Chalcedonensis in amplissima S. Euphemiae Basilica, illi praesidente S. Leone per Legatos, Paschasium Lilybaei Episcopum, Lucentium Asculanum Episcopum, Bonificium, & Basilium Presbyteros, quibus Julianus Coensis auctoritate Pontificis adjunctus est. Adfuerunt Episcopi ferme 600. juxta S. Leonem Ep. 52. juxta alios ultra 600. Adfuerunt Magistratus Saeculares, ut tumultus compescerent. Dioscorus, qui Concilio in prima actione aderat, prohibitus est sedere ut Judex, jussus in medio sedere ut reus. Actorem egit Eusebius Dorylaei: ipse, & Flavianus a labe haeresis vindicati sunt; & praeter jus exacto-ratos, communionemque privatos, pronuntiatum est: decreta, si Imperatori placeret, eadem poena in Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Jerosolymitanum, & alios Auctores Latrocinii Ephesini. Haec actione prima. Actione 2. lecta, & probata est a majori parte celebris illa S. Leonis ad Flavianum Epistola, de qua infra.

Actione 3. Dioscoro semel, iterum, & tertio citato, ut compareret Synodo, ipsoque abnuente, sententia depositionis in eum lata est. 1. Quod Eutychem, similia sibi sapientem, canonicè excommunicatum a proprio Episcopo, in Communionem suscepisse. 2. Quod Epistolam S. Leonis ad Flavianum legi prohibuisset in Synodo praedatoria Ephesina. 3. Quod S. Leonem a Communionem abscondere ausus fuisset. 4. Quod ter ad Synodum vocatus venire renuisset. Ex verbis primae causae damnationis patet, Dioscorum etiam damnatum fuisse propter haeresim Eutychem. Patet etiam ex actione 5. in qua, cum Anatolius Constantinopolitanus dixisset, Dioscorum non esse propter fidem damnatum, illustrissimi Judices sic interlocuti sunt: *Dioscorus ait, quod ex duabus naturis est, susceptio 3. duas non suscipio: (sic dixerat in prima actione) S. autem Archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo, inconfuse, inconvertibiliter, & indivisibiliter unitas in uno Unigenito Filio Salvatore nostro quem igitur sequimur, S. Leonem, aut Dioscorum? Ad haec nihil reposuit Anatolius: unde colligitur, priora verba ei incaute, & imprudenter excidisse. Nec mirum, nonnihil enim favebat Dioscoro, cujus Archidiaconus fuerat, & a quo ordinatus fuerat Archiepiscopus Constantinopolitanus.*

Actione 4. omnes Episcopi S. Leonis Epistolae subscriperunt. Post haec tumultuantibus Monachis Eutychem, & id potissimum petentibus, ut Dioscorus Alexandrinus Concilio Judex adesset, 30. diem indicia ipsi concessa sunt, quibus elapsis, ni Concilii decretis parerent, omni gradu, dignitate, & communione essent privandi.

Actione 5. actum est de definitione fidei; magna circa hos terminos, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, & indivise Christum subsistere, exorta controversia; quae, utrimque deputatis Legatis, & accedente Imperatoris jussu, composita est, editaque, & recepta fidei definitio, quae Symbolum Nicænum ac Constantinopolitanum, & Epistolam Synodicae Cyrilli, & memoratam S. Leonis Epistolam, atque illa verba disertè continebat: *Unum, eundemque Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.* Actione 6. praesente Marciano Imperatore, relecta est definitio fidei, & omnium Episcoporum subscriptione approbata.

Actione 8. Theodoretus jussus est dicere anathema Nestorio, quo praestito, in suam Sedem restitutus est. Actione 9. & 10. idem de Iba Edesseno Episcopo. Actione 11. & 12. Bassiani, & Stephani controversia dirempta est; illo ex Sede Ephesina de-posito, isto subrogato, judicatum fuit, ut neuter sederet, tertius ordinaretur, utriusque sumptus ex arario Ecclesiae subministrarentur. Quod etiam actione 14. erga Sabianum Perrensem Episcopum Sede destitutum factum est.

Nota. Pensiones Ecclesiasticae ex Beneficiorum Ecclesiasticorum redditibus nullibi in Ecclesiastica antiquitatis monumentis memorantur ante Concilium Chalcedonense, quas Bassiano, & Stephano, item, & Sabiano decrevit ad summam 200. solidorum aureorum. Sed haec pensiones ipsis concessa sunt propter paupertatem, & ut loquatur Synodus, *nutrimenti gratia, & consolationis.*

Actione 15. absentibus Sedis Apostolicae Legatis, plures Canones ediderunt Patres Graeci numerant 30. Latini 28. Viginti octavum, quo Sedi Constantinopolitanae confirmantur Patriarchae privilegia, quae 150. Patres sub Nectario Constantinopoli congregati olim ipsi contulerant; ut scilicet primo post Romanam Ecclesiam honore frueretur, jusque, & potestatem ha-

haberet in Dioceses Thraciae, Ponti, & Asiae, & Barbarorum, insuper Episcopos ordinaret, sibi relegendum postularunt Legati actione 16. eumque, licet instantibus Patribus, approbare renuerit. Ipsum quoque improbat S. Leo, quin imò a Graecis ex numero Canonum expunctus est: ceteros consensu, saltem tacito approbasse Summum Pontificem, vult Natalis Alexander; quod alii negant, sed quosdam in posterum obtinuisse firmiter mentum vel ex usu, vel ex aliis Synodis.

Canones hujus Concilii disciplinam spectant. Iis, nempe Canone 2. prohibentur simoniace ordinationes sub poena depositionis in Clericos, excommunicationis in Laicos. Canone 3. prohibetur Clericis alienarum possessionum conductio, & saecularium negotiorum procuratio, exceptis cura necessaria pupillorum, rerum Ecclesiasticarum procuratio, orphanorum, & viduarum patrocinio. Canone 5. prohibetur, ut nullus fiat Clericus sine titulo; titulus autem his temporibus non erat Patrimonialis, ut nunc; sed Ecclesia civitatis, vel pagi, vel Martyrium, id est Ordinationi, ubi Martyrum Reliquiae coluntur; quibus addicti Clerici in perpetuum esse debebant ad sacra Mystera obunda. Canone 9. prohibentur lites Clericorum adversus clericos ad saecularia tribunalia deferri. Canone 10. Clericis sub gradus proprii periculo prohibetur, ne in quibus simul Ecclesiis conscribantur, id est, ne plura beneficia obtineant. Ibidem prohibentur pensiones causa permutationis. Canone 13. prohibentur Clerici peregrini in aliena civitate sine commendatitio proprii Episcopi Litteris ministrare. Canone 20. prohibentur Clerici ab una Ecclesia ad aliam migrare; multaque alia circa disciplinam sancta sunt. Canone 28. de privilegiis Sedis Constantinopolitanae decernitur, ut dictum est.

*Synodi Chalcedonensis hostes.*

Contra Synodum Chalcedon. insurrexerunt primò Monachi Alexandrini, pro suo in Dioscorum affectu: deinde Palæstinae Monachi, excitante Theodosio Monacho Eutychem amico. Tantum fuit eorum in S. Synodum odium, ut Catholicis Episcopis depositis, suae factionis alios in eorum Sedes intruserint, & insectati sint omnes, qui anathema in Synodum dicere renuerent. Hos, & illos compescere tentaverunt Marcianus Imperator, & Pulcheria Augusta. Basiliscus Tyrannus, fugato Zenone, & in vaso Imperio, Timothei Aelari consilio Synodum Chalcedonensem impugnavit, datis ad omnes ubique Episcopos litteris, quibus, & ipsam Synodum, & S. Leonis Epistolam damnabat, huicque damnationi omnes, & Clericos, & Laicos sub gradibus poenis, depositionis pro Clericis, exilii pro Laicis, assentiri jubebat.

Cencyclis litteris subscribere Timotheus, Aelurus, Petrus, Cnaphes Pseudo-Episcopus Antiochenus, Anastasius Jerosolymitanus, & alii circiter quingenti Episcopi, maxime ex Asia-tica Diocesi. Resisterunt Acacius Constantinopolitanus, & Monachi Constantinopolitani, ita ut, tumultuante plebe in Tyrannum, ex urbe Regia fugere coactus. Eutychem, coacto Concilio, Acacium deposuerunt.

*Henoticon Zenonis.*

Zenon, recuperato Imperio, & rescissis Basilici actis, auctore, imò dicente Acacio, Henoticon, id est, unitivum Edictum, ad omnes direxit, studio conciliandae pacis. In eo non aliud Symbolum admittendum sancit, quam Nicænum in Concilio Constantinopolitano, & Ephesino confirmatum. Approbat 12. Capitula Cyrilli: Nestorium, & Eutychem damnat; sed de Dioscoro, de Concilio Chalcedonensi, de Ep. S. Leonis silet: quin imò damnat anathemate S. Synodum, si expositae in suo Edicto fidei sit contraria. Ceterum fidem Chalcedonensis Synodi tacito nomine profiteretur, si quidem dicit: *Constituimus autem unigenitum Dei Filium, & Deum verè hominem factum, Dominum nostrum Jesum Christum, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eundemque nobis consubstantialem secundum humanitatem, qui descendit, & incarnatus est ex Spiritu S. de Maria Virgine Dei genitrice, unum esse, non duos. Unius enim esse dicimus, tum miracula, tum passiones, quas sponte sua in carne sustinuit. Hos verò, qui dividunt, aut confundunt, aut phantasia introducunt, nullatenus suscipimus.* Per phantasia intelligit errorem Eutychem, qui carnem non veram, sed phantasticam, asserbat. Addit Zenon: *Quicumque verè aliter sentit, aut sentit, vel nunc, vel quandoque, aliis, sive Chalcedone, sive in alia qualibet Synodo, eam anathematizamus; praecipue tamen Nestorium, & Eutychem, & eos, qui idem cum illis sentiunt.*

Ex dictis evidens est, Henoticon Zenonis esse rejiciendum, non quidem ut haereticum, sed ut haeresi favens, silendo de Dioscoro, de Ep. S. Leonis, de Concilio Chalced. & de his vocabulis, *Ex duabus, & in duabus naturis*, quae Catholicae fidei, contra Eutychemissimum tessera erant, & recipiendo ad Com-

munionem haereticos absque ulla fidei professione, & ulla haeresis abjuratio. Item hoc alio titulo rejiciendum est, quod decernat de fide, quod nulli laico licet, aut competat.

Si dicas, Zenonis Henoticon nunquam fuisse ab Ecclesia reprobatum. R. Sufficenter fuisse reprobatum hoc ipso, quò, qui illi subscriperunt, damnati sunt, Petrus Moggus, Petrus Fullo, Acacius, & Zeno ipse post mortem e Sceris Dyptichis expunctus est. Ceterum, quod Ecclesia hoc dictum expressè non damnaverit, id economia factum est, ne scilicet, Zenonis animum magis exacerbaret, & graviora inde mala orirentur.

Anastasius Imperator, Zenonis Successor ann. 497. fuit alter Concilii Chalced. hostis. Sub ejus Imperio fervebat, inter Episcopos pertinacissima contentio. Quidam Decreta Concilii ad apicem tuebantur; alii illud cum Epistola S. Leonis demnabant. Alii Zenonis Henotico mordicis adhaerebant, licet inter se de una, vel duabus naturis disceptarent. Quae cum videret Imperator, pro aut contra Concilium praedicanes damnavit. Gravem insuper in orthodoxos Episcopos, & Monachos Concilii Chalcedonensis defensores persecutionem movit. Eum Symmachus Romanus Pontifex ob pertinaciam in Acacii communionem servanda excommunicavit.

*Acephali.*

Cum Petrus Moggus, in Sedem Alexandrinam esset restitutus a Zenone Imperatore, ejus Henoticon probavit, nec Concilium Chalced. juxta Henotici praescriptum damnavit. Unde infensum Eutychem Alexandrinum, a Petri communionem discesserunt; *Ac propterea nominati sunt Acephali, quod a capite, id est Patriarcha suo, disjuncti seorsim congregabantur*, inquit Leontius libr. de Sceris actione 5. licet Liberatus dicat eos *Acephalos*, qui aeque Cyrillo, neque Joanni Antiocheno post concordiam ineam adhaerebant. Huic Sectae vires addit sequenti saeculo ann. 512. Severus Antiochenae Sedis invasor ope Anastasii Imperatoris, expulso Macedonio legitimo Antistite. Severus enim, Henoticon Zenonis suscipiendo, & Concilium Chalced. damnando, Acephalorum Dux factus est, & damnatus in Concilio Constantin. 40. Episcoporum. Acephali dicti sunt etiam Hesitantes, & Monophysitae: item, & Semi-Eutychemi, quia Eutychem errorem emoliebant dicendo, *quoniam, si & una praedicetur filii Dei natura, potest accipi eadem una natura secundum aliquid naturae Patris esse consubstantiales, & item secundum aliquid naturae*, inquit Facundo l. 1. c. 5. Dicti sunt etiam Jacobitae a Jacobo Syro; & sic vocantur in Aegypto.

*Theopaschitae.*

Petro Fullone orti sunt. Is Petrus Monasticam vitam professus est in cenobio Acemetensium; in quo fullonis artem exercebat: unde nomen *Fullonis* sortitus. E Monasterio propter Eutychem dogma, & impugnationem Synodi Chalced. eiecit, tandem per varias artes, & maxime favente Zenone, Antiochenam Sedem invasit. Ipsam Divinitatem Filii unigeniti cruci affixam effatuebat: unde ipsi adhaerentes dicti sunt Theopaschitae.

SECTIO II.

*In quo situs sit error Eutychem?*

Theodoretus l. 4. Haeret. fab. c. 13. & Vigilans Taspensis l. 3. referunt, Eutychem censuisse cum Valentino carne Christi non in utero Virginis formatam, sed e coelo fuisse deductam, & per uterum Virginis tanquam aquam per fistulam transiisse. Sed ipse Eutyches, in responsione facta Joanni Presbytero ad eum misso a Synodo Constantinopolitana sub Flaviano, conqueritur de hac calumnia sibi ab aliquibus impacta, asseritque se ab ea esse innoxium. Ita refertur act. 3. praefati Concilii, relecta actione 1. Concilii Chalced.

Certum est, Eutychem negasse in Christo post adunationem duas naturas, eumque esse nobis consubstantialem. Patet ex relatione praefati Joannis Presbyteri ibidem, & ex actione septima ejusdem Concilii Constantinopolitani ubi refertur Eutychem respon-disse Florentio Patrio interroganti: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam confiteor. Corpus Domini, inquit S. Flavianus in Ep. ad S. Leonem, humanum quidem vocat Eutychem, non tamen nobis consubstantiale.*

Sed difficultas est, quomodo Eutyches intellexerit, has duas naturas ante adunationem coalescere post adunationem in unam, an mixtione, an confusione, an conversione unius in aliam, an tantum compositione, quo pacto anima, & corpus componentur hominem salva integritate componentium. Hoc ultimum contendit Vasques ex Gelasio Libr. de duabus naturis, & ex Facundo Herm. l. 1. cap. ultimo Sed, si revera sit intellexisset Eutychem, non negasset corpus Christi esse nobis consubstantiale, nec veritatem carnis atque animae ejus: quod tamen ne-



gavit, ut patet jam ex dictis, & insuper, ex S. Leone ad Flavianum, dicente de Eutyche: Qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis nec per gloriam Resurrectionis agnovit.

Dico: Videtur verius, Eutychem intellexisse ex duabus naturis factam esse unam in Christo mixtione, seu confusione, aut etiam conversione unius in aliam, nunc uno, nunc alio modo, secundum quod varie urgebatur a Catholicis. Nesciens ignarus Archimandrita, inquit S. Flavianus ad S. Leonem, quod dicit, neque de quibus affirmat. Unde factum est, quod SS. Patres varie hanc haereticam exposuerint, modo mixtione, modo conversione. Concilium ipsum in suo Decreto non meminit nisi confusionis, & mixtionis, S. Leo ad Leonem Augustum de Eutyche Totum inquit, Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret naturam, tanquam Verbi Deitas ipsa se in carnem, animamque converterit. Gelasius libr. de duob. nat. Eutychem unam esse naturam, id est, divinam. Et infra: Jam verò, si (ut ipsi delirant) scilicet Eutychem, adunatione una facta natura est, aut unius abolito est, aut utriusque confusio. Vigilius Taps. l. 2. adversus Nestorium, & Eutychem: Eutyches respiciens unam personam, unam censuit esse naturam, & ab hoc humanam est denegare. & ipsam Divinitatem asseruit passam. Theodoretus in Dialogo Inconfusus interroganti Orthodoxo: Donec nos, quomodo unam post unionem dicas naturam; an quid una ex ambabus facta sit? An quid altera deleta, altera remanserit? Responderet Eranistes Eutychem causam agens: Ergo dicamus, mansisse Divinitatem: ab hac verò absorptam esse humanitatem; ut mare mellis guttam si accipiat, statim etiam gutta illa evanescit, aequae maris permixta.

Ceterum, etsi Eutyches, ut patet ex dictis, non agnovit istam naturarum compositionem, quam intendit Vasques, non negaverim tamen quosdam post ipsum Eutychem, argumentis Catholicorum agitato, istud unionis animæ, & corporis in una hominis natura exemplum attulisse, ut suum loquendi modum aliqua ratione tuerentur; ulterius tamen progressos asseruisse, non solum hoc sensu dici posse unam naturam, sed ita unam, ut humana non remaneret. Aut si quidam sic censuerint de sacra unione hac, sicut de unione animæ ad corpus, rigorem Eutychemianum in hoc emolliuisse. Unde patet solutio ad Gelasium, & Facundum.

Dices: Eutyches confessus est Verbum incarnatum; atqui Verbum incarnatum non fuisse, si carnis sit extincta natura commixtione, aut conversione: ergo, & Joannes Presbyter supra citatus referens de Eutyche: Confitebatur, inquit, perfectum Deum esse, & perfectum hominem, qui natus est de Maria Virgine non habentem carnem consubstantialem nobis: ergo R. Haereticam senem ingnarum, nescientem quid diceret, neque de quibus affirmaret, ut jam observavi ex S. Flaviano, Incarnationem verbotentis admississe, & pugnantia locutum fuisse, ut patet in ipsis ejus verbis objectis.

SECTIO III.

De convocazione, & Præsede Concilii Chalcedonensis.

Quis illud convocavit? quis illi præsedit?

Dico. 1. Concilium Chalcedonense auctoritate S. Leonis R. Pontificis fuit convocatum. Prob. 1. ex ipso Concilio actione 1. jam laudata superius dùm de Concilio Ephesino, in qua Patres leguntur non permisisse Dioscorum sedere inter Episcopos, quia sine auctoritate Sedis Apostolicæ illam Synodum celebrare ausus fuerat, quod, inquit, nusquam licitum, nusquam factum. Quomodo ergo ipsummet Concilium absque auctoritate Sedis Apostolicæ convocatum dici poterit, cum aperte declaret id nusquam licitum, nusquam factum?

Prob. 2. ex Ep. Imperatoris Marciani ad S. Leonem, quæ extat 1. parte Concil. Chalced. c. 34. Superest, inquit Imperator, ut, si placuerit tue Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur. nostris utique desideriis vestra Sanctitas satisfaciatur, & sacre Religionis, quæ utilia sunt, decernat. 3. Ex ejusdem Leonis ad Marcianum Ep. ubi ait: Litteras dedimus ad Fratres, & Coepiscopos nostros, itaque Concilium generale indicimus. 4. Ex Ep. Episcoporum secundæ Mysiæ, ubi dicunt: In Chalcedonensium urbem multi S. Episcopi convenerunt, per jussionem Leonis Romani Pontificis. 5. Ex Gelasio S. Pontifice in Ep. ad Episcopos Dardaniam solam, inquit, Apostolicam Sedem, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sua auctoritate decrevisse.

Dicit solam Apostolicam auctoritatem; non ut excludat Marcianum Imperatoris officia pro indicatione Concilii Chalced. sed ut innuat solum S. Leonem auctoritate potuisse hanc Synodum congregare, & de facto congregasse.

Tandem negari nusquam potest, hanc Synodum fuisse con-

gregatam saltem ex aperto assensu S. Leonis: atqui id solum, et si nihil aliud probaret, sufficit ad veritatem nostræ conclusionis, ut vidimus supra de Concilio Ephesino. Require ibi.

Multa profert Natalis Alex. ex Epistolis Summi Pontificis, & Imperatorum, ex ipso Concilio, & ex aliis Auctoribus, ut probet ipsum Imperatorem Marcianum convocasse hoc Concilium. Sed breviter respondemus, his omnibus testimoniis nihil aliud probari, quam quod Imperator officia, & ministerium adhibuerit ad convocacionem Concilii. Aut si probent, Imperatorem jussisse, & ex auctoritate egisse; nusquam probant, id factum fuisse inconsulto, & non assentiente Pontifice; quod, ut jam dictum est, sufficit nobis: in eo enim, qui auctoritate pollet ad aliquid faciendum, ipsum in illud consentire est illud ejus auctoritate fieri.

Dices nihilominus cum eodem, Marcianum in Epist. laudata ad S. Leonem post verba cit. addere, quod si sit hoc onerosum, ut ad has partes adveniat, hoc ipsum nobis propriis Litteris tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacre nostræ Littere dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes SS. Episcopi debeant convenire: ergo, R. in Editione Concilii Dom. Bâil non legi ubi nobis, sed ubi nobis placuerit, & hinc sensus est magis congruus. R. 2. Dato, legendum esse nobis, id esse ministerii, non auctoritatis nisi participatæ, ut diximus.

Dico 2. S. Leo Synodo Chalced. præsedit per Legatos Paschasinum Lylibatanum, & Lucentium Asculanum, Episcopos, & Bonifacium Presbyterum, quibus adjunxit Julianum Coensem, saltem ut consiliorum participem. Prob. 1. ex Ep. 47. S. Leonis ad Synodum Chalced. In his Fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apost. Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas vestras præsideret. 2. Ex Ep. ejusdem 43. ad Imper. Marc. Nec me quoque, ut voluit vestra clementia, ab illo credatis abesse Concilio, cum in his Fratribus, quos directi, id est, Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, sed, & in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit estimanda presentia. Et in Ep. ad ipsum Julianum 71. juxta novam editionem S. Leonis, mandat ipsi, ut Legatis suis curam, & actionem conjungat in omnibus. Et addit: Quoniam scimus, omnium illis auctorum rerum majorem te, quam nostras habere notitiam: ut, dum curam tuam illis, consiliumque societaveris, in nulla parte fallatur. Nota, quod, licet in his tribus Litteris legatur Basilius, ut delegatus, nullibi tamen in actis Concilii nominetur, foris quia, licet revera missus, casu tamen aliquo interveniente, non potuit Concilio adesse: & idem nec nos in conclusionem inter Legatos Præsides numeravimus. 3. Ex ipso Concilio in 5. primis actionibus, quæ sic incipiunt: Conveniente sacra, & universalis Concilio secundum sacram præceptionem in Chalcedonensi urbe congregato, id est, Paschasino, & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, locum tenentibus Archiepiscopi Leonis, &c. Et actione 6. Paschasinus definitione fidei, tunc præserte Marciano, sic subscribit: Paschasinus Episcopus, Vicarius Domini mei, atque universalis Ecclesie Episcopi urbis Romæ Leonis, Synodo præsident, statui, consensu, & subscripsi. Eodem ferè modo Lucentius, & Bonifacius subscripserunt.

Dices 1. In actione 12. in qua Bastiani, & Stephani causa judicata est, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus primus sententiam dixit ante Legatos S. Sedis: ergo Concilio præsedit. R. D. Cons. Ergo Concilio præsedit Anatolius quoad hanc sessionem, transeat: quoad alias, N. Cum enim in ea actione ageretur de causa singulari, & disciplinam tantum spectantem, utpote de ordinatione irregularis præfatorum Episcoporum, quæ notior erat Anatolio, foris idem præsertiam quoad hoc ipsi spontè detulerunt Legati.

Inst. 1. Synodus Sardinia post S. Leonem numerat Anatolium inter Præsides Concilii: ergo, R. hanc Synodum usurpasse, præsideret pro judicare, siquidem non solum Leonem, & Anatolium præfuisse dicat Synodo, sed & summos Sacerdotes, qui eis concordat fuerunt.

Inst. 2. Tarasius Constantinop. actione 1. septimæ Synodi vocat Anatolium Synodi Chalcedonensis primum Exarcham: ergo, R. D. Ant. vocat 1. Exarcham respectivè ad alios Antistes, C. respectivè ad Sedem Romanam, N. Siquidem in eadem actione prima præfate septimæ Synodi recitatur exordium actionum Synodi Chalced. in quo sic habetur: Conveniente sancto, & universalis Concilio, id est, Paschasino, &c. ut vidimus supra.

Inst. 3. Photius Libr. de septem Synodis Anatolium inter Concilii Præsides primo loco recenset. Cedrenus in Compend. Historiarum, Zonaras Tom. 5. Annal. Nilus Rhodiensis Libr. de Synodis, etiam ipsum Anatolium inter Præsides Concilii recenset, post tamen Legatos S. Leonis: ergo, R. Photius in hac causa nullam fidem esse adhibendam, utpote schismatico, & studio Sedis Constantin. invidique in Romanam abrepto con-

SECTIO V.

Utrum Theodoretus merito coactus sit a Concilio Chalcedonensi dicere anathema Nestorio?

Theodoretus Cypri Episcopus, amicus Nestorii, cui impensè patrocinatus fuerat, pace inita inter Orientales, & S. Cyrillum, ad communionem ab aliis Episcopis receptus fuerat. Subindè a Dioscuro in Synodo prædatoria depositus ad S. Leonem appellaverat; apud quem, cum suam fidem a labe Nestorianismi purgasset, cum S. Leo in suam communionem recepit, & Episcopatum ei restituit. His non obstantibus, & quamvis ex decreto Judicium Imperialium susceptus esset in Concilio Chalced. Theodoretus; attamen Episcopis Ægyptii, Palestinis, & Illyricanis, quibus suspecta remanebat ejus fides, tumultuose conclamantibus ipsum hæreticum, & Nestorianum, atque ejus ejectionem poscentibus, judicatur Nestorianus, ut, salvis juribus, non sederet ut Judex. Hæc in actione 1. Actione 8. ejus causa ad examen revocata est, & ut a suspicione hæreseos omninò se purgaret, placuit sacro Consessui, ut diceret anathema Nestorio.

Petit Theodoretus, ut legerentur Libelli supplices, quos Legatis Pontificis, & Imperatori obtulerat. Clamaverunt Patres: Nihil legi volumus: Modò anathematiza Nestorium, Theodoretus reposuit: Non solum Nestorium, & Eutychem, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit, aversor. Hæc ambigua visa sunt Patribus; undè rursus postularunt. Ut clarè diceret anathema Nestorio, & dogmatibus ejus: anathema Nestorio, & amantibus eum. Reposuit Theodoretus per ambages, & fidei formulam, quæ non est visa sufficiens Patribus. Unde, cum adhuc diceret, clamaverunt: Dic aperte anathema Nestorio, & iis, qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt. Theodoretus prius suam fidem exponere aggressus est iterùm: Ego, inquit, nisi exposuero quomodo credo, non dico; credo autem. Hæc verba loquentem interturbant Patres his vocibus: Iste hæreticus est: iste Nestorianus est: hæreticum foras mitte. Theodoretus tandem nolens pro hæretico haberi morem gessit, dixitque anathema Nestorio, & ei, qui non dicit Die Genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium Unigenitum, &c. Quæ cum dixisset Theodoretus, omnes Reverendissimi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede. Ecclesie orthodoxam Ecclesia Pastorem recipiat: Theodoro Catholico Doctore reddatur Ecclesia. Et ita pro Theodoro tulerunt sententiam Sedis Apostolicæ Legati.

Quæstio est, an justus fuerit hic agendi modus cum Theodoro. Notandum, hanc quæstionem maxime affinem esse quæstioni, quæ multùm his temporibus controversit; scilicet an defensores Jansenii merito compellantur damnare nedùm 3. famosas propositiones; sed etiam ut exceptas ex libro Jansenii, & in sensu ab Actore intento, hoc est, in sensu obvio libri, seu Auctoris quæ talis: non enim agitur, quod bene advertas, de sensu merè interno seu, personali Auctoris, sed de sensu obvio, & naturali ejus libri.

Dico: Theodoretus ut a labe, & suspicione hæreseos plenè se purgaret, hæresim, & hæresis auctorem Nestorium damnare in Synodo merito coactus est. Prob. Secundum antiquos Ecclesie mores, qui de hæresi suspecti erant, semper coacti sunt, & hæreseos, & auctoris ejus damnationi subscribere; atqui Theodoretus merito suspectus erat hæresis Nestorianæ: ergo. Patet Min. 1. Quia impugnavit 12. Capitula Cyrilli, quorum impugnationem non retractavit, etiam in ita pace. 2. Quia ægerime tolerat anathema dictum Nestorio sibi amico a Joanne Antiocheno, ut constat ex ejus Epist. ad ipsum Joannem data. 3. Quia Synodus V. oecumenica damnavit ejus scripta contra S. Cyrillum pro Nestorio. Nec refert, eum a S. Leone in communionem fuisse susceptum, & in Sedem restitutum, timere enim poterant Patres, ne foris Summo Pontifici obrepisset, & factum fecisset.

Prob. ergo Maj. 1. Ea disciplina observata est erga Arianos, qui non solum Arianz hæreseos, sed & Arii ipsius damnationi subscribere coacti sunt; & qui id recusarent, scilicet Theonas, & Secundus, abdicati sunt: ita refert ipse Theodoretus l. 1. hist. c. 6. 2. Sic actum est cum Origenistis, ut refert S. Hieron. Ep. 65. 3. Sic actum est cum Pelagianis, ut constat ex sanctione Honorii Imperatoris directa ad Aurelium Chastagn. Episcopum. Religio tua, inquit Imperator, contentibus scriptis unversos faciat admoneri... hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratum (hæreticorum Pelagianorum) quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissionem mulctati... communiione priventur. De ejusdem subscriptionis necessitate ipse Aurelius ad Episcopos Provincia Bysacenzæ scribit. Ea de re etiam Marius Mercator in Commonitorio, qui dicit, Epistolam Zozimi, qua Pelagius, & Celestius damnati sunt, subscriptionibus

contra fidem omnium monumentorum antiquorum. Quoad alios, R. Fidem potius adhibendam ipsis actis Concilii, S. Leonis, etiam Vigilio Pontifici, Facundo Herm. Liberato Diacono, aliisque Auctoribus coævis, quàm iis, qui opponuntur, a tempore Concilii nimium remotis. Nisi forte dicatur, eos vocabulum præsidentis, aut præsidis sensu latiori usurpasse, proit dicitur de omnibus, qui in aliquo coetu dignitate præminent, & primi sententiam dicunt, quamvis inter eos sit, cujus major dignitas est.

Dices 2. Imperator Marcianus per Magistratus initio Synodi, & per se secta actione, & sequentibus, profuit Synodo, ut testantur Patres in Relatione ad S. Leonem. R. Præsedit ad politiam, & ordinem servandum, ne scilicet quid simile accideret, quod in Latrocinio Ephesino, C. Præsedit condendis fidei Decretis, & Ecclesiasticæ Disciplinæ sancientiæ, N. Sic enim ait pius Imperator actione 6. Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo Religiosi Principis Constantini, Synodo interesse volumus. Interesse dicit, non præsideret.

Repones. Senatores a Marciano missi in 1. sessione sententiam depositionis tulerunt in Dioscorum Alexand. Ergo, R. Ipsos non tulisse sententiam juridicam, & finalem, sed tantum mentem aperuisse, ut patet ex verbis, Justum nobis videtur, & ex conditione apposta, si Imperatori placeret. Sententia autem finalis, & juridica lata est a Patribus Synodi actione 3. absentibus Magistratibus.

SECTIO IV.

De Epistola Dogmatica S. Leonis ad S. Flavianum in Concilio Chalcedonensi approbata.

IN actione 2. Concilii, recitata per Beronicianum S. Concilii Secretarium celebri illa S. Leonis epistola ad Flavianum, Reverendissimi Episcopi acclamaverunt: Hoc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus. Anathema ei, qui non credit: Petrus per Leonem locutus est: Apostoli ita docuerunt: pius, & verè Leo docuit: Cyrillus ita docuit.

Ibidem Episcopi Palæstini, & Illyriciani moverunt dubitationem circa tria loca hujus Epistolæ, quæ excurrere conati sunt Theodoretus, & Aetius Archidiacon. Constantinop. sed frustra tunc undè ipsis dubitantibus concessum est, ut intra quinque dies penes Anatolium Episcopum Constantinop. convenirent, & docerentur. Quo facto dubietas omnis, quæ oriebatur ex obscuritate lingue Latine, quam non habebat, ablata est per Legatos, Epistolæque subscripserunt, ut testantur ipsimet actione 4. Eadem actione cum Judicio sæculares petissent, ut Ep. S. Leonis ad examen revocaretur, id agere tulit Paschasinus cum aliis Legatis; dixitque, manifestum esse, quod dubitari posse, quoniam Leonis epistola cum superioribus Symbolis concordaret. Quod omnes Episcopi testati sunt, sequè illi epistolæ subscripserunt. Excipiendi tamen sunt 10. Episcopi Ægyptiaci, qui renuerunt in hac sessione subscribere Ep. B. Leonis quoad usque datus esset Alexandrie Ecclesie Archiepiscopus, depositio Dioscuro: citra cujus consensum, ut mot erat in Ægypto, inquebant, non poterant subscribere. Et cum instantè urgerent subscriptionem cæteri Episcopi, aut eorum excommunicationem; tandem, datis fidejussoribus, promiserunt se non exituros Constantinopoli quo usque Alexandria reciperet Episcopum, testatique sunt se non ex repugnantia contra fidem Catholicam, neque ex inobedientia sanctæ Synodo subscriptionem diffetere. Annuit S. Synodus.

Magna deindè contentio orta est ob verba Ep. S. Leonis, omisa in formula fidei actione 4. concinnata, quibus verbis agebat: Salvam utriusque nature proprietatem in unam coivisse personam, inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse. Hæc verba inserenda esse formulæ fidei contendebant Legati Pontificis cum aliquot Episcopis Orientalibus: jam definitæ fidei formulæ pertinaciter insistebant alii, nihilque addendum clamabant, dicentes nihilominus: Ut Leo credimus, qui contradicunt, Eutychemianus sunt: Leo rectè exposuit. Tandem constitutis jussu Imperatoris selectis Episcopis contentio composita est, & formulæ fidei inserta sunt prædicta verba S. Leonis.

Petes, ad quem finem curaverunt Legati, ut hæc Epistola in Synodo probaretur? Respondet ipse S. Leo Ep. 65. ad Theodoretum. Ut, accedente totius Ecclesie consensu, irtractabilis esset definitio fidei: non quod antea talis non esset, sed ut talis videtur etiam ipsis Eutychemianis, nullaque superasset ipsis ratio eam retractandi. Et eodem motivo legitur fuisse examinatam, & collatam Regulis fidei, non verò quod ullum in ea errorem suspicaretur S. Synodus.



bus SS. Patrum esse roboratam... cui Juliano, & reliqui complices jus subscribere recusantes... non solum Imperialibus Legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi sunt.

Eandem disciplinam observavit S. Leo erga eosdem Pelagianos, ut patet ex Ep. 86. Aquilejensem Episcopum: Damnant, inquit, apertis professionibus suis superbi erroris Auctores. Sic actum est cum aliis, qui Nestorianæ Hæreseos erant suspecti, ut patet ex conditionibus pacis inter Cyrillum, & Orientales. Sic actum est cum eis, qui Eutychiez hæreseos suspecti erant. Itā etiam egit S. Leo cum Anatolio Constantinop. & cum Attico Presbytero, de quo sic loquitur ad Anatolium, non solum voce hereticos, sed etiam propria manūs subscriptione damnasset.

&c. Sic etiam egit postea Hormisdas cum Orientalibus, quos in communionem noluit recipere, nisi postquam Eutychem, Dioscorum, Timotheum, & Elurum, Petrum Moggum, & Accacium propria subscriptione damnasset. Ergo.

Porro nullatenus S. Leoni displicuit, quod sic cum Theodoro actum sit, ut constat ex consensu ipsius Legatorum, & ex ipsomet S. Leone Ep. 63, in qua Theodoro gratulatur, quod omnis hæreseos immunis demonstratus sit, & quod Apostolicæ Sedis de ipso iudicium fuerit confirmatum. Prob. 2. Indeficiens est iudicium Ecclesiæ circa facta dogmatica, & circa facta cum iure connexa, ut probabimus dum de Ecclesia atque scripta Nestorii esse hæretica, seu hæresim continere, est factum dogmaticum: esse autem hæreticum eum, qui propositiones, vel scripta hæretica edidit, factum est cum iure connexum; si enim is non sit hæreticus, ergo nec quæ vel dixit, vel scripsit, hæretica sunt: ergo tenebatur Theodoretus assentiri Concilio damnanti Nestorium ut hæreticum. Adverte tamen dici hæreticum, qui hæretica dicit, aut scribit, non attendens sensum purè internum, & merè personalem, quem habuit, vel habere potuit, hæretica scribendo, vel dicendo (de internis enim non iudicat Ecclesia) sed sensum externum, & naturalem, seu obvium verborum.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Non minus est indeficiens S. Pontificis iudicium circa facta cum iure connexa, seu in declarando auctorem catholicum, quam sit indeficiens Concilii iudicium in declarando auctorem hæreticum; atque S. Leo declaraverat Theodoretum catholicum: ergo Concilium huic iudicio Pontificis indeficienti anuere debet, nec ullam suspicionem circa fidei Theodoretum habere poterat. R. D. Maj. Non minus est indeficiens S. Pontificis loquens ex cathedra iudicium, &c. quam sit indeficiens, &c. C. Maj. Non loquens ex cathedra, N. Ad cuius sensum, D. Min. Sanctus enim Leo privatis literis cum Theodoro egit, ipsum in communionem recipiens, non verò diplomatibus ad universalem Ecclesiam directis; quod requiritur, ut censetur loqui ex cathedra, ut fusiùs alibi dicitur. Non tenebantur ergo Patres Synodici agnoscere Theodoretum omnino catholicum, poterantque merito suspicari ipsum obrepisse summo Pontifici, adeoque iure ipsum adigere, ut anathemate contra Nestorium prolato omnem a se hæresis suspicionem amoveret.

Obj. 2. Theodoretus non tenebatur credere Nestorium hæreticum: ergo immeritò coactus est dicere anathema Nestorio. Prob. Ant. Utrum Nestorius hæreticè senserit, est questio facti; atque in questionibus facti, fallibile est iudicium Ecclesiæ: ergo non tenebatur Theodoretus credere Nestorium hæreticum, sed ipsi sufficiebat damnare impia Nestorio imputata dogmata. In pari forma argumentantur Jansenistæ in favorem Jansenii. R. N. Ant. Ad prob. D. Maj. Utrum Nestorius hæreticè senserit est questio facti, si intelligatur de eius sensu merè interno, & personali, C. Maj. Si intelligatur de sensu propositionum, seu scriptorum eius, Subd. Est questio facti meri, N. Maj. Est questio facti dogmatici, C. Maj. Et ad hunc sensum, D. Min. N. Cons. Est ergo questio facti puri, circa quod Ecclesiæ iudicium est fallibile, v. g. utrum Nestorius interies, & personalitèr hæreticè senserit, taleque in se habuerit sensum, quem eius scripta præ se obvii ferebant: circa quod, inquam, & alia similia facta, deficiens est iudicium Ecclesiæ, cum de internis nulla sit ipsi potestas iudicandi: soli enim Deo notum est eorum sensum. Utrum verò propositiones, seu scripta Nestorii sint, vel non sint conformia fidei, hæretica, vel non hæretica, est questio facti, sed dogmatici, circa quod est infallibile Ecclesiæ iudicium, nec minus infallibile, quam circa hoc factum: an Concilium Nicænum contineat veram fidem: an Editio Vulgata contineat verum Christi Evangelium: Dicitur tamén talis questio facti dogmatici, quia est de libro, vel scripto, vel propositione; quæ continet dogma verum vel falsum: sicut dicitur apud litigantes factum scriptum aliquod, continens suæ causæ rationes, & momenta.

Item utrum ille, qui tales propositiones hæreticas, vel talia scripta hæretica edidit, sit hæreticus, est questio facti cum ju-

re connexi: & circa tales questiones est etiam infallibile Ecclesiæ iudicium. Si enim sit hæretica hæc propositio: Beata Virgo non est Mater Dei, statim sequitur eum, qui illam asseruit, esse hæreticum: et si is non sit hæreticus, nec ista propositio erit hæretica. Dicitur enim hæreticus quis, quia asserit propositiones hæreticas. Et quia Ecclesia est infallibilis in definiendo, àn talis vel talis propositio sit hæretica, quæ est questio juris, si attendatur dogma contentum, vel facti dogmatici, si attendantur verba; consequenter etiam est infallibilis in definiendo, àn ille, qui talem, vel talem, propositionem asseruit, sit hæreticus, vel non. Intellige semper hæreticum materiale, vel formale, atrepto præcisè sensu naturali, & obvii verborum, seu propositionum, qui dicitur etiam sensus externus; non autem atrepto sensu merè interno, & personali, quem in se habuit, vel habere potuit Auctor.

Inst. Questiones facti, vel dogmatici, vel cum iure connexi non sunt revelatæ: ergo Ecclesiæ iudicium circa illas non est infallibile. Prob. Ant. Non est revelatum, quod scripta, vel sermones Nestorii contineant dogma hæreticum, quod est factum dogmaticum; neque quod Nestorius sit hæreticus, etiam quoad externum, & naturalem verborum eius sensum, quod est factum cum iure connexum: ergo. R. 1. N. Conseq. Non enim probari potest, a Christo collatam esse Ecclesiæ infallibilitatem circa revelata tantum: quin imò potius contrarium constat: quia alias malè oves pascere posset, & portæ inferi prævalere possent adversus eam. Habet ergo hæc infallibilitatem Ecclesia ex assistentia Spiritus S. qui docet eam omnem veritatem, maxime spectantem omnes Fideles, & necessariam ad conservationem Depositii fidei, qualis est ea, quæ involvitur in questionibus facti, vel dogmatici, vel cum iure connexi. R. 2. D. Ant. Questiones, vel facti dogmatici, vel connexi cum iure non sunt revelatæ immediatè in se, C. Ant. non sunt revelatæ mediatè ut partes in suo toto, N. Et hoc sufficit, ut teneamur ipsis semel ab Ecclesia propositis assentiri etiam assensu fidei.

Notandum itaque, veritatem a Deo revelari dupliciter: 1. immediatè in se in particulari, v. g. hæc: Deus est triuus in personis: Christus est homo. 2. mediatè in alio. Et hoc iterum dupliciter: vel ut effectum in causa, ut hæc v. g. Christus est risibilis, revelata est in hac, Christus est homo ut in sua causa; vel ut partem in suo toto, ut hæc: David in Adam peccavit, revelata est in hac universali ut pars in toto: Omnes in Adam peccaverunt: & hæc Concilium Trid. est Regula fidei, in hac, Omne Concilium, legitime congregatum, est Regula fidei. Quæ revelantur, ut effectus in causa, non sunt objectum fidei, sed assensus dumtaxat theologici, quia effectus tantum virtualitèr continentur in causa. Quæ autem revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei, quia partes formalitèr sunt in toto, & veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quæ in illa formalitèr continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quas continet, sunt veræ: unde eo ipso, quo revelatur formalitèr propositio universalis, revelatur etiam formalitèr propositiones particulares, sicut ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est universalitèr, omnem textum, omnem propositionem, omnem librum ab Ecclesia damnatum esse verè damnabilem, id enim comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiæ revelata: ergo, & huic textum huius hominis, pura Nestorii. Plura de hac materia alibi.

Replicabis. Potuisset saltè Theodoretus uti distinctione dogmatis, & personæ, dicendo scilicet anathema dogmatibus Nestorii, v. g. his propositionibus, Sunt in Christo due personæ: B. Virgo non est Despara; non autem personæ ipsius Nestorii, quem has propositiones hæreticè sensu non propugnasse existimabat: ergo. R. D. Ant. potuisset uti distinctione dogmatis, & personæ dicendo anathema dogmatibus, & non personæ, si attendatur præcisè sensus eius internus, & personalis, transeat Ant. Si attendatur sensus eius externus, seu obvius sensus verborum eius, N. Patet ex dictis. Ecclesia autem non querit de sensu interno, & personali, sed de sensu obvii scriptorum, seu dictorum. Dixi, transeat ad primam partem: quia, cum verba sint instituta ab hominibus ut signa sensus interioris, & per ea iudicemus de sensu proferentis, temerarium, & infundatum foret attribuire Auctori alium sensum, quam quem verba eius præ se ferunt, maxime cum nihil ambiguitatis continent, sed apertè hæreseos expressiva sunt, & ut talia ab Ecclesia iudicantur.

Repones. Non magis tenebatur Theodoretus credere Nestorium hæreticum, etsi ut talem damnatum a Concilio Ephesino, quam tenebatur Catholici credere Cæcilianum innocentem, etsi ut talem iudicatum in Concilio Arclanensi, & a Melchiale Papa. Atque Catholici non tenebantur credere Cæcilianum innocentem, ut doceret plures. Aug. Ergo. R. 1. N. Min. disparitas est, quod in causa Cæcilianii ageretur de mero facto, àn scilicet Cæcilianii ordinatio esset vitiosa; in causa autem Nestorii agebatur de dogmate, & facto dogmatico. R. 2. N. Min. Eri enim

enim in his factis fallibile sit Ecclesiæ iudicium, nulla tamen sufficiens ratio subsistit, ut dicatur hic errasse. Unde temerarium esse negare Cæcilianum innocentem; neque constat, Aug. contrarium censuisse.

Obj. 3. Theologi catholici, & doctissimi, tum antiqui, tum recentiores, inter quos Binetus, & Halloxius Soc. Jesu, Hueticus Picus Mirandulanus, &c. susceperunt defensionem Origenis, & scriptorum eius; Atqui tamen scripta Origenis damnata sunt ab Ecclesia, tum in Concilio Generali 5. Coll. 8. Anath. 11. tum in Concilio Generali 7. Act. 1. 3. & 7. Ergo, &c. R. D. Maj. Plures Theologi catholici susceperunt defensionem Origenis quoad questionem meri facti, C. Maj. Quoad questionem dogmatis, vel facti dogmatici, N. Maj. & concessa Min. N. Cons. Itaque variz classes fuerunt Defensores Origenis. Alii sic defendebant Origenem, ut ejus errores tuerentur; & hi sunt damnati, ut hæretici a quinta Synodo. Alii sic defendebant, ut negarent ejus scripta continere errores ab Ecclesia proscriptos, quos & ipsi damnabant; & illi etiam merito culpandi, utpote qui contradicerent iudicio Ecclesiæ in facto dogmatico. Tales sunt hodie

plures Defensores Jansenii. Alii sic defendebant Origenem, ut assererent propositiones hæreticas, quæ in libris Origenis reperiuntur, non esse ab ipso, sed ab hæreticis intrusas in ejus libros vitiatas, & interpolatas, maxime per Rufinum, ut probat Hieronymus: & hoc est merum factum, de quo nec curat, nec iudicat Ecclesia, de libris proit ipsi offerunt iudicare contenta. Et hi Origenis Defensores possunt excusari, si quidem ipse Origenes adhuc vivens conquerebatur de suorum operum interpolatione ab hæreticis. Alii tandem quædam tantum Origenis dicta sic defenduntur, ut alia damneht: unde Origenem absolute non defendunt, nec ab omni errore purum asserunt, quia imò potius damnant. Et hi etiam videntur excusandi; quia Ecclesia damnando Origenem non distinxit singillatim, quos in eo errores damnaret: imò Ecclesia utitur in Breviario quibusdam lectionibus ex Origene deorompis: licet enim hæreticè scripserit Origenes, non tamen fuit hæreticus scilicet formalis, quia suos errores pertinacitèr non sustinuit. Hæc omnia confer cum Jansenismo, & ejus Defensoribus.

DISSERTATIO V.

DE CAUSA, TAM MORALI, QUAM PHISYCA INCARNATIONIS.

Causam moralem voco causam meritoriam. Meritum vel sumitur in abstracto, & est jus ad præmium: vel in concreto, & est opus præmium, seu retributione dignum. Duplex distingui solet, de condigno, & de congruo. Meritum de condigno est illud, quod habet condignitatem, seu proportionem cum suo præmio, adeoque est ejusdem ordinis cum illo, spectatque justitiam saltem distributivam: sic gratia fundat meritum de condigno gloriæ, juxta illud Apost. De reliquo reposito est mihi corona justitiæ, &c. Meritum de congruo est illud, quod non habet equalitatem proportionis cum præmio, sed est ordinis inferioris: est tamen quædam congruitas, quædam decencia, aut convenientia, quod ejusmodi præmium conferatur. Congruitas duplicitèr accipi potest; uno modo, prout fundatur in pura Dei misericordia, sine ullo iure, vel debito ex parte operis. Alio modo, pro congruitate fundata in amicitia, & in opere gratuito procedente ab amico: amicitia enim, cum sit pars potentialis justitiæ, fundat aliquod debitum, etsi non strictum, sicut meritum de condigno: & hoc meritum de congruo secundo modo sumptum ordinariè intelligitur, cum sit sermo de merito congrui: etenim meritum congrui primo modo non nisi latè, & improprie potest dici meritum. His notatis, de quibus fusiùs dixi in Tract. de grat. Dissert. ultima, sit

ARTICULUS I.

Utrum Christus meruerit, aut mereri poterit suam Incarnationem.

Suppono 1. tanquam certum de fide, humanitatem Christi non meruisse unionem hypostaticam per meritum illam tempore antecedentia: quia, ut definitum est in Concilio Ephesino, Chalced. & aliis contra Photium, Nestorium, & alios, humanitas nulli instanti reali exiit ante unionem; sed eodem instanti reali fuit creata, & Verbo unita.

Suppono 2. quòd, si humanitas Christi exiisset in se cum gratia habituali priùs tempore, quam uniretur Verbo, potuisset mereri Incarnationem; non quidem de condigno, quia cum opera non procederent a supposito infinito, sed creato, non essent ejusdem ordinis cum Incarnatione, quæ est opus infinite dignitatis: meritum autem de condigno exigit esse ejusdem ordinis, & habere equalitatem cum præmio; sed de congruo, quia ad meritum de congruo non requiritur equalitas ad præmium, sed sufficit amicitia cum Deo.

Questio est igitur de humanitate, ut conjuncta Verbo, seu Christo ut sic, àn per opera ordine naturæ præcedentia, vel subsequentia Incarnationem, illam meruerit, aut saltem mereri poterit? Christum reipsa suam Incarnationem non meruisse, imò nec de lege ordinaria potuisse mereri, sicut conveniunt Theologi. At quædam contendunt, potuisse saltem de potentia absoluta illam mereri maxime per opera eam subsequentia, quatenus Deus decrevisset Incarnationem intuitu futurorum meritorum Christi: sicut Rex confert militi nobilitatem, seu arma intuitu futurorum ejus meritorum. Contra quos, ut serviamus Scholæ, Dico (Hic q. 2. a. 11. o.) Christus nec meruit, nec absolute mereri potuit, sive de condigno, sive de congruo suam incarnationem. Prob. Principium meriti nec cadit, nec absolute cadere Theol. Billuart. Pars Tertia.

potest sub merito. Ità communitèr admittitur a Theologis ex D. Thom. hic & 1. 2. q. 114. art. 9. o. & q. 29. de verit. art. 6. Idque ratio evincit: meritum est causa efficiens præmii, quatenus efficiat hominem præmio dignum, & se habet ad præmium ut medium ad finem, & via ad terminum, proindeque priùs existens, quam præmium: si ergo principium meriti causaretur a merito, caderet sub merito, idem esset, & causa efficiens, & effectus in eodem genere, idem priùs, & posterior: seipso existens, priùs ut causans, posterior ut causatum; quæ implicat. Atqui Incarnatio, seu persona Verbi communicata humanitati, est principium, & efficiens, & formale totius meriti Christi: efficiens, quia nulla Christi operatio potest concipi nisi, ut procedens a supposito tanquam a principio efficiente ut quod, cum actiones sint suppositorum, & priùs sit esse, quam operari; formale, quia omnis valor illarum operationum est a persona divina, tanquam a principio formalitèr illas valorante, ut ita dicam, & dignificante. Si ergo aliquid opus Christi, sive natura antecedens, sive subsequens ejus, incarnationem; illam causaret, seu mereretur, sequeretur 1. quod istud meritum esse causa, & effectus in eodem genere cause efficiens. 2. Quòd esset causa sui, quia esset causa sui principii formalis. 3. Similitèr Incarnatio esset causa, & effectus simul, principium, & principium, seipsa prior, & posterior; quæ omnia sunt implicatoria.

Confirm. 1. Implicat, quod id, quod jam est, alium moveat, ut sit; atque, quando est meritum Christi præsens, vel futurum, est jam Incarnatio præsens, vel futura, nedum in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis, si quidem ut in re ponenda sit principium, & causa meriti: ergo. Confirm. 2. Priùs decreta fuit Incarnatio etiam quoad executionem, quàm decreta, adeoque & quam prævisa futura ejus materia: ergo implicat ea potuisse Deum movere, ut eam decerneret. Prob. Ant. Sicut priùs est esse, quam operari, ità & priùs est decernere Christum esse, quam decernere eum operari; atque Christus habet esse per Incarnationem: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Apocal. 5. dicitur: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem. Psalm. 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Ad Philipp. 2. Humiliavit semetipsum. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ergo. Resp. ad 1. per ly accipere divinitatem non significari Deum, aut divinitatem, acquirere, sed eam palam agnoscere, & celebrari: sicut cum dicitur Christum accipere scientiam, est publicari, & agnoscere sapientem esse, juxta phrasim usitam Scripturæ. Ad 2. dico. 1. juxta plures Patres ly propterea non significare causam meritoriam, quasi Deus unxit Christum Deum, quia dilexisti justitiam, sed causam finalem, ità ut sensus sit: Dilexisti justitiam, propterea, id est, in hunc finem, seu ut justitiam diligeres, unxit te Deus. Eo sensu quo dicitur Luc. 4. Aliis civitatibus oportet me evangelizare, quia debeo, id est, ad hoc missus sum. Altera hujus loci interpretatio est, ly propterea equidem significare causam meritoriam, sed oleo lætitiæ non significari divinitatem, sed eam